DREYKORN

ADDITAMENTA AD EMENDATIONEM ET INTERPRETATIONEM THEOGNIDEAM

Additamenta

ad emendationem et interpretationem

THEOGNIDEAM.

Scripsit

JOANNES DREYKORN
Gymnasii rector et professor.

Programm zum Jahresbericht der k. Studienanstalt zu Landau in der Pfalz 1874.

LANDAVI: TYPIS ED. KAUSSLERI.

Gymnasiorum nostrorum discipulos carmina Graeca ita docere consuevimus, ut Odysseam primum, deinde Iliadem legendas praebeamus, tertio gymnasii anno ad tragicorum notitiam eos transmittamus, e quibus singulas fere, perraro binas Euripidis ac Sophoclis fabulas cognoscere solent. Ea lectio facultatem offert disserendi de epicae et dramaticae poeseos ingenio et in fabularum tragicarum compositione demonstranda non leviter stringimus lyricam tragoediarum partem; exponimus enim discipulis, qua ratione, quibus incrementis factum sit, ut tragica poesis artis poeticae finis esset summaque perfectio, quomodo per gradus fabula, cum a Bacchi sacris canticisque oriunda initio nihil nisi lyrica fuisset epicae poesis rationem adhibuerit, cum primo illius dei fata hypocrita narrando persequeretur, postea aliarum rerum narrationes adiungerentur, postremo actio scenica ad rerum alibi gestarum narrationem accederet. Eius originis vestigia docemus servari canticis choro tragico recitatis in eisque canticis adeo inesse naturam melicam, ut apud Euripidem non raro prorsus soluta a fabulae conexione aut alienas res aut mentem ipsius poetae proferant. Quod quamquam depravatae ab Euripide artis scenicae reprehensionem habet, tamen ipsa cantica poeseos lyricae documenta sunt aliquoties egregia et quibus carminum lyricorum vis ac natura demonstretur optime.

Ea igitur cantica etiamsi discipulis ita usui esse possunt, ut inde quae fuerit Graecorum melica poesis cognoscant quodam modo, tamen quicunque Graecas litteras docet adolescentes desiderari inter Homerum et tragicos poetas poetarum elegiacorum et melicorum carmina intellegit. Habent enim litterae Graecae cum alia multa delectamenta tum hoc vel maximum, quod inde incrementorum et progressus mentis humanae quasi leges et naturam adeo intellegere possis, ut non nimis audacter locutus esse videatur, qui litterarum Graecarum processus vel ante quam quis eum cognitum haberet ex ipsius poeseos sermonisque pedestris natura ac ratione deduci posse dixit. Namque epicam rerum gestarum descriptionem atque enarrationem mentis poetarum animique eorumque quae ipsi senserint et cogitaverint sequitur expositio; et cum epicis carminibus quales fuerint res aut quales fuisse poetae ingenium finxerit explicentur ac mentibus audientium obiciantur, lyricis docemur carminibus, quo modo animi poetarum rebus commoti, incitati, aut odio aut cupiditate inflammati fuerint. Utramque autem poesim, et epicam, quae rerum, et lyricam, quae personarum esse dici potest, in se coniungit atque comprehendit poesis scenica, quae et res alibi gestas narrando exponit et animorum sensus aperit et quae aut faciunt aut patiuntur homines personati, ob oculos spectantium ponit. Simili ratione in litterarum Graecarum progressu inter se excipiunt rerum scriptores, oratores, philosophi, quorum primi rerum gestarum seriem deducunt, alteri quae de quaque re sentiant et iudicent verbis persequuntur, philosophi denique et rerum et hominum causas investigare et disserere student.

Haec si adolescentes ut considerent intellegant cogitando perspiciant instituere conamur, desideramus in carminum ordine partem lyricam, qua ab Homerica poesi transitus fiat ad poesim tragicam, cuius nescii quomodo Graeci ad tragicam artem pervenire potuerint ignoramus. Ea magna litterarum Graecarum pars ne prorsus lateret, viri docti operam navaverunt, ut carmina elegiaca iambica melica aut integra ederent aut si qua fragmenta relicta essent colligerent emendarent disponerent eaque opera effecerunt, ut discipulis quoque carmina Graecorum lyrica in manus tradi possent. Eius modi ‚anthologias' cum Stollius, Buchholzius discipulorum causa parassent laudemque prudentiae et elegantiae meruissent, mihi tamen cum ob alia tum hoc nomine minus probabantur, quia discipulis nihil nisi poetarum verba tradi, quae necessaria essent ad intellectum ab ipso magistro adnotari malebam. Itaque dum ex amplissima Bergkii collectione, quam et tertia poetarum lyricorum Graecorum editione et altera anthologiae lyricae in medium protulit, seligere quae meo consilio profutura essent ingredior, nonnullis locis recedendum videbatur ab ea lectione, quam Bergkius aut in textum verborum recepit aut recipienda iudicavit. Inde quae ad collectionem vel ut Schneidewinus ait farraginem Theognideam pertinent, data programmatis scholastici occasione hic subicienda existimavi, si quid utile aut ad emendanda aut ad interpretanda poetae aut potius poetarum verba in iis inesse videretur.

Versu 4. Bergkius pro v. ἀείσω mutandum censet ἀείδω, quia hanc futuri formam non minus ipse quam Cobetius alienam videtur existimare ab antiquis poetis; at ἀείδω non tam facile ferendum mihi videtur quam Henrico ab Herwerden (animadversionum philologicarum ad Theognidem pag. 1.), cum antecesserit λήσομαι eaque verba prooemii instar promissionis aliquid actionisque futurae necessario contineant. Eurip. Herc. fur. 678 (681 Nauck.) quod mutavit Elmsleius ἀείσω praesentis forma substituta, id Nauckius retinuit, quamquam in verbo quod proxime antecedit κελαδεῖ inesse potest aliquid praesidii formae ἀείδω; at illud ἀείσω ita cingitur futuri formis et praeeuntibus et sequentibus, ut vel ob has magis probetur ἀείσω; deinde vero sententia formam futuri requirit. Chorus enim senum illic non poterat dicere se tum maxime in scena cantare Herculis victoris laudes inter vina et lyram tibiasque, sed fore ut it faciat; at si quis praesentis formam dixerit vim induisse futuri, is nulla urgente necessitate duri aliquid sermoni hujus loci iniunxerit non minus quam ei unde profecti sumus loco collectionis Theognideae. Formam ἀείσω satis tutari videtur et Joannes Stobaeus (flor. 41,9. 5,72) et Plutarchus (symp. 2,3), quorum auctoritas non redarguitur a Gaudentio, qui Isagogen harmoniae non minus potuit auspicari (v. Lobeck. Aglaoph. p. 452) praesentis forma ἀείδω quam Vergilius verbis illis: Arma virumque cano. At iungi praesentis et futuri formas ambitu tam circumscripto quam qualis loci Theognidei est posse vix crediderim. Quamquam dubitatio de forma ἀείσω, quam Moeris Atticista Hellenicam, illam quae medii generis est Atticam esse perhibet, non prorsus vana est; in collectione enim Theognidea nusquam eandem formam repetitam invenimus, at duobus locis medii generis formas, v. 243. ᾄσονται, 943. ἀείσομαι, sed inde aliam potius posse nasci suspicionem puto, qua primos quattuor collectionis versus non Theognidem habere auctorem opinemur, sed aliunde adhibitos propter similitudinem versus 5., quo Phoebus laudatur, in principio collectionis positos esse, cum prooemii forma commendarentur. Arsenius quidem, qui ad Apostolii cent. 18,56. (Leutsch.) hos versus adnotavit in iisque formam habet ἀείσω, Theognidis nomen ascripsit; ea tamen auctoritas haud cuiquam

alicuius momenti videbitur esse. Versus autem collectioni ipsi non conveniunt, non enim nisi duobus locis Apollinis nomen legimus, v. 759., qui locus ob Medici belli commemorationem suspicionem originis alienae non Theognideae movet, quam suspicionem nobis non exemit Schoemann (opusc. acad. IV, p. 35), et v. 1119., qui locus haud sane a communi optantium formula differt. Id certe per versuum Theognidis nomine inscriptorum ordines non invenimus, poetam, id quod primis versibus promittitur, dei laudes et in medio et in fine celebrasse.

V. 6. Bergk. ῥαδινῇς scribere maluit, quam quod et Bekker et Welcker et Schneidewinus habent ῥαδινῆς, non quia multi codicum, in quibus tamen unus e tribus praestantissimis K, neque A, neque O, formam vocabuli praebeat ι subscripto carentem; hos enim codices tantum non ubique omittere ait ι dativi, qua in re codex A paene perpetua diligentia eminet. Sed Bergkio magis arridet verborum φοίνικος ῥαδινῇς quam ῥαδινῆς χερσὶν coniunctio, quia id epitheton imprimis palmae conveniat. Et posse quidem per se iungi ea vocabula non negamus, quamquam haud sane probabile est poetam a constanti sermonis usu, cui φοῖνιξ nomen masculini generis est, discessisse neque locis Herodoti et Theophrasti a Bergkio allatis augetur ea probabilitas. Sed vis ipsa nominis adiectivi non aliena est a tali coniunctione, ut eandem vocem Homerus (Φ 583) adiecit nomini ἱμάσθλῃ, Stesichorus (55. Bergk.) scripsit ῥαδινοὺς ἄκοντας, Ibycus (57. B.) κίονας τὸν οὐρανὸν βαστάζοντας dicit ῥαδινούς, Sappho (104. B.) sponsum comparat ὄρπακι βραδινῷ, Theocrito (11,45. 27,44.) cupressi sunt ῥαδιναί, multo tamen saepius de deabus feminisque et de corporis humani partibus, ut Theogn. v. 1002. de virginis manibus, semel etiam (Anacr. 165. B.) de eculeis gracilibus (non celeribus, ut interpretatur schol. Apoll. Rhod. III, 106), idem adhibetur vocabulum, cuius origo et vis utramque permittit coniunctionem. Natum enim est e radice vrad, cuius alia forma est mrad, quae in lingua Indorum sanscrita significat mollem sive flexibilem esse (v. Curtius gr. Etymol. [4] p. 353), itaque et plantis teneris mollibusque et corporibus corporumque formis gracilibus ac proceris aeque convenit. Sed quominus eo de quo agimus loco φοίνικος ῥαδινῇς iungamus, alia obstant atque vocabuli vis et significatio, et ipsa res eo loco descripta et eius descriptionis exemplum. Mentibus enim audientium poeta fetum obicit Latonae, quae ut conficiat laborem pariendi fulcro aliquo eget, quo nitatur, arboremque complectitur manibus, quae postea sacra fuit Apollini et cara ob auxilium matri latum. Eam autem arborem, qua niteretur dea, quam pro fulcro comprehenderet, firmam fuisse necesse erat neque a poeta veritatem fictae rei sequente tenera ac mollis dici potuit. Si quis autem loco Odysseae celebratissimo (ζ 163) motus hoc quoque loco de tenera arbuscula, de virga arboris molli atque enascente cogitaverit, is neglexerit duorum locorum diversitatem. Illic enim Ulixes Nausicaae formam nymphis similem admirabundus palmae illius tenellae meminit, quam vidisse se ait prope Apollinis aram surgentem, illic igitur virgini primae juventae flore nitenti nihil conveniebat nisi tenerae alicuius rei comparatio; hoc loco firma stabilique re opus erat, qua quis confideret et niteretur; non igitur dici potuit φοίνικος ῥαδινῇς, sed necessario dicendum fuit ῥαδινῇς χερσίν. Et poetam quidem sic voluisse accipi verba luculenter ostendit hymni in Apollinem Homerici similitudo adeo aperta, ut volentem ac scientem imitatum esse illius hymni verba poetam appareat. Hymni autem illius vs. 117. et 118. hi sunt: ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε, γοῦνα δ' ἔρεισεν λειμῶνι μαλακῷ, μείδησε δὲ γαῖ' ὑπένερθεν. Inde patet poetam rem ipsam prorsus eandem mente sibi finxisse atque hymni auctor, verba, ne

stultus esset imitator, paulum mutasse, recordatum fortasse versus quoque 14. hymni in Cererem, atque omnino rem verbis paulo amplius ornavisse. Ita hoc quoque loco, ut saepissime in Graecorum carminibus et fabulis, Homericam poesim cernimus fontem et exemplum fuisse poetis aetatis posterioris.

V. 24. miror cur nemo adhuc emendationem necessariam adhibuerit eandemque tam lenem tamque promptam, ut vix audeam proferre, quod viri docti magis sprevisse quam non vidisse videntur. Cum enim codex A praebeat: *πάντας δὲ κατ' ἀνθρώπους ὀνομαστὸς ἀστοῖσιν δ' οὔπω πᾶσιν ἁδεῖν δύναμαι*, et a verbis *ἀστοῖσιν δ'* Arsenius quoque ad Apost. Cent. IV, 4, in *δ'* interpretes non immerito haeserunt. Qui recte eam coniunctionem positam putarent, illud prius *δὲ* mutarunt in *μὲν*, alii *δ'* in *δή*, aut *ἀστοῖς εἰ μή πω* scripserunt, ut referretur ad *θαυμαστὸν* quod sequitur; iam Bergk. in editione 3. *ἀστοῖς τοῖσδ'* in verborum contextum recepit. At codicis A ea est praestantia, ut ubique fere optimam lectionem habeat, raro exiguae correctiones adhibendae sint, ut *τε* pro *γε*, similia. Sic hoc quoque loco recte omnia se habent, ubi pro illo *δ'* scripserimus *γ'*. Poeta apud omnes homines, inquit, celebratus civibus quidem omnibus adhuc placere non possum. Vox *ἀστοῖσιν* addita particula *γ'* ita tollitur, ut omnibus hominibus cives opponantur non probantes poetam, qui omnium in oribus est.

Paulo infra v. 26. quia deteriorum aliqui codices atque Arsenius ad Apost. cent. IV, 14 *πάντας ἀνδάνει* praebent, Bergk. suspicatur antiquitus scriptum fuisse *πάντας Ϝανδάνει*. Praeterquam quod A habet *πάντεσσ'* omnisque controversiae finem imponit, duae res obversantur suspicioni Bergkii: primum enim verbum q. e. *ἀνδάνειν* per omnem collectionem Theognideam legitur nullo digammatis vestigio, ut praeter v. 24. et 26., v. 44. 52. 226. 287. 368. 382. 732. 802. 804. deinde nusquam non cum dativo iunctum, ut ne hoc quidem loco poetam deseruisse communem usum probabile sit.

Versuum 35. et 36. verba non aliter puto esse scribenda atque tradita sunt a Platone (Men. p. 95 D.) et Xenophonte (Mem. I, 2,20, Symp. 2,5 et apud Jo. Stobaeum flor. 29,95.), qui et aetate et auctoritate ceteris facile praestant. Itaque v. 35 *διδάξεαι* servamus, quod praeter Platonem et Xenophontem schol. habet Aphthon. 4 (II, 593. Walz.) et v. 36 *συμμίσγῃς*, pro qua forma a Platone et Xenophonte tradita schol. Aphthon. l. c. habet *συμμίξῃς*, Stob. flor. l. c. *συμμιγῇς*, quod scribentis errori deberi videtur, qui omissa littera *σ* sine accentus signo scripserit *συμμιγῃς*. Quod Musonius apud Stob. flor. 56,18 habet *μαθήσεαι*, memoriae videtur vitio scriptum neque de Platonis et Xenophontis auctoritate quidquam detrahere potest. Futurum autem medii pro passivo non raro ab atticis facilitatis causa adhibitum esse Buttmannus adnotavit gr. mai. II. § 113, 6, 10, atticis autem proximi fuerunt Megarenses. Quod autem Bergk. ex Aristotelis verbis (Eth. Nic. IX, 12) *ἀπομάττονται γὰρ παρ' ἀλλήλων, οἷς ἀρέσκονται. ὅθεν τὸ ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλά*, pro *ἐσθλὰ διδάξεαι* poetam scripsisse suspicatur *ἐσθλ' ἀπομάξεαι*, id praeter Platonis et Xenophontis auctoritates ipso verbi uso reprobatur, quod ea vi non invenitur ante Platonem et Aristotelem nec, si a Theognide iam usurpatum fuisset, tacite a Platone et Xenophonte mutatum esset; praeterea a sermonis Theognidei simplicitate alienum videtur.

V. 45. cum Bergkio aliisque coniunctivi formas (*φθείρωσι* et *διδῶσιν*) optime convenire sententiae

arbitror, quamquam codex A praebet φθείρουσι et διδοῦσι, quae si pro indicativis habentur, paulo molestior est verborum coniunctio; ita enim versus 45. et 46. inseruntur explicationis causa versibus 44. et 47., cum sermonis simplicitas iubeat continuari et magis exponi superbiae hominum improborum descriptionem eadem dicendi figura. Easdem verbi formas si cum Herwerdenio (l. c. p. 2) pro dativis participiorum accipimus, plane dura est vocum ἀδίκοισι et διδοῦσι coniunctio. Itaque quamquam codicis optimi A auctoritatem sequi in crisi Theognidea certissimum et aptissimum videtur, hoc tamen loco sermonis ratio necessario vincet auctoritatem codicis.

V. 47. verbum extremum, quod codices exhibent ἀτρεμέεσθαι, Bergk. mutavit in ἀτρεμιεῖσθαι, cuius significatum aliis locis firmat. Sed ἀτρεμίζειν, quod apud Herodotum et loco Theognideo (v. 303.) idem est quod quietum esse, si efficiendae etiam quietis vim habet, ut in verbis Xenophontis apud Clem. Alex. adv. gent. p. 46, quae Bergk. affert, tamen ἀτρεμιεῖσθαι nihil potest significare nisi quietum reddi; huius autem loci sententia necessario est ea, ut poeta dicat: eam civitatem noli sperare diu fore quietam. Itaque Schoemanni emendatio magis placet, qui opusc. acad. IV, p. 29. ἄτρεμ' ἔσεσθαι coniecit, cui locutioni comparat σῖγα εἶναι, ubi adverbium instar praedicati est. Similia Bernhardy congessit (synt. serm. graeci p. 337.), in quibus etsi sunt quae jam aliter leguntur, tamen ad probandam rem satis exemplorum relinquitur, quibus addas Thucyd. 6, 88, 2: ἐγγὺς ὄντας, et conf. Krügeri gr. gr. 62, 2, 2. 3. 4. et Stallbaum. ad Pl. Phaedon. p. 93 B. Phileb. p. 41 E.

V. 73. non intellego quid prohibeat quominus cum Doederlino scribamus ἀνακοίνοε, quod in traditis codicum formis haud dubie inest. Insolens enim, id quod Bergk. dicit, ea verbi forma non potest dici, qua et Xenophon et Plato utuntur, quam et Suidas et Herodianus et Moeris (v. Stallb. ad Cratyl. in.) Atticis in usu fuisse testantur. De diversa autem utriusque formae significatione quod viri docti statuerunt, ipso sermone non videtur probari. Stallbaum. enim ad Plat. Legg. XI, 913 B. Astium secutus ἀνακοινοῦν τί τινι, inquit, significat communicare aliquid cum aliquo deliberandi gratia, et Krüger. gr. gr. § 52, 8, 7 ita distribuit significationes, ut in activa verbi forma inesse dicat vim consulendi aliquem, in media deliberandi cum aliquo. His quos inspexi locis haec reperi: Communicare aliquid cum aliquo aut consilii petendi aut deliberationis causa cum eo instituendae est 1) κοινοῦν τί τινι sive περί τινος Aeschyl. Suppl. 369. Choeph. 717. Eurip. Med. 685. Arist. Nub. 197. Thucyd. 2, 93; 2) κοινοῦσθαί τινί τι sive περί τινος sive πρός τινα Xenoph. Anab. 5, 10, 15. Plat. Legg. XI, 930 C. Herodian. 7, 8; 3) ἀνακοινοῦν Xenoph. Anab. 3, 1, 5. 6, 1, 22. Plat. Legg. XI, 913 B. (ἐπανακοινοῦν 918 A.); 4) ἀνακοινοῦσθαι Xenoph. Anab. 3, 1, 5. Hellen. 7, 1, 27. Plat. Lach. 178 B. 179 E; communicare aliquid cum aliquo, ut is rem comperiat 1) κοινοῦσθαι Lucian. Icarom. 29. ver. hist. 2, 10. Herodian. 1, 6. 2) ἀνακοινοῦσθαι Xenoph. Anab. 5, 6, 36. Plat. Protag. 314 B; apud Polybium 7, 16, 3 κοινοῦσθαι περί τινος est communicare aliquid cum aliquo, ut postea qui communicaverit aliquid faciat. His exemplis satis opinor docetur activam verbi ἀνακοινοῦν formam non minus fuisse in usu quam mediam significatu vix differente neque Theognidis loco unde profecti sumus esse abiudicandum. Quam si tenuerimus, non opus est mutatione vocis sequentis ita, ut ab ἁ incipiat, at plane assentimur Bergkio πᾶσιν mutanti in πᾶσαν, ut referatur ad πρῆξιν, quo accedit etiam ὅλως, ut versus haec verba contineant: Πρῆξιν μηδὲ φίλοισιν ὅλως ἀνακοίνοε πᾶσαν,

hanc habeat sententiam: Ne cum amicis quidem prorsus omnem rem communicaveris, quae sententia suspiciosae menti poetae periculis cauti optime convenit.

V. 48. quod Herwerden codicis A auctoritate neglecta pro κεῖται ponendum censet οἰκεῖ aut χρῆται, non videtur probanda proferre. Haesit vir doctissimus in verbi κεῖσθαι usu, quem hoc loco invenisse se miratur; κεῖσθαι enim, inquit, a Theognide et antiquioribus certe Graecis, si recte memini, usurpatur tantum de rebus malis atque adversis. At varia est verbi significatio, oriunda ea quidem ex eadem vi primaria. Κεῖσθαι enim est et jacere et cubare, oppositum et stando et agendo, ita et virium fractarum, infirmitatis, malae valetudinis, adversae fortunae, occisionis, perniciei, interitus vim habere potest et quietis atque otii. In collectione Theognidea praeter versum 48. κεῖσθαι reperi v. 240. 320. 428. 568. 632. 646. 845. 1268. 1317., ἐπικεῖσθαι 649. 1259. 1357., κατακείμενον 423. et v. quidem 240. quiescere, positum esse aliquem vel aliquid significat, v. 1268. cecidisse, humi jacere, 1317. neglectum, vv. 428. et 568. mortuum esse, 320. et 845. additis vocibus ἐν κακοῖς, ἐν ἀγαθοῖς aut εὖ, κακῶς iacendi habet significationem non unico miseriae significatu, 632. 646. de miseria dicitur, quia cum verbo iunguntur haec, aut ἐν ἀμηχανίαις aut ἐν ἀμηχανίῃ; ἐπικεῖσθαι denique l. l. impositam rem aut coronam aut onus aut iugum indicat. Inde patet quam recte Herwerden apud Theognidem κεῖσθαι tantum de rebus malis et adversis usurpari dixerit neque persuadebimus nobis v. 48. verbum q. e. κεῖται expungendum esse, aliud in eius locum substituendum. At numerorum causa mutatum a Bergkio ordinem verborum, ut sint μηδ' εἰ νῦν πολλῇ κεῖται ἐν ἡσυχίῃ, probari nobis non negamus.

V. 95. Bergk. ea quae leguntur τοιοῦτός τοι ἑταῖρος ἀνὴρ φίλος οὔτι μάλ' ἐσθλός sensu non pravo reprobare videtur, cum vocabulum ἀνὴρ inaniter addi sentiamus, nec si a poeta scriptum esset, aliud nisi dubitationis et necessarii supplementi signum videretur esse. At quod ipse in eius vocabuli locum posuit ἀτὴρ illud quid sit expiscatus non sum neque eiusmodi vocabulum inesse in lexicis reperi. Sed audaciusne fecerit, qui pro illo ἀνὴρ simile aliquid vocabulo obscuro ἀτὴρ suspicatus legendum arbitratus sit ἀτὰρ et ita locum interpretandum: qui quantisper tu eum videas tantisper te laudibus exornet, idem ubi abierit malum mittat sermonem, is socius quidem tibi est, at amicus minime generosus, qui loquitur utilia, quae secus sunt in mente habeat.

V. 111. verbum ἐπαυρίσκουσι magnam movet legentibus dubitationem; eo enim sensu, quo intellegere consuevimus verbum, ut sit idem quod frui aliqua re, commodum inde percipere, sententiae minime convenit; sed ne ea quidem interpretatio, quam secuti et Ahrens ἀμαυρίσκουσι et Bergk. ἐλαφρίζουσι coniecerunt, cadere in hunc locum videtur. Neque enim id dicit poeta: bonos homines maximum passos id infringere, sive ut Bergk. explicat, boni vel mala, quae ipsis allata sunt, non curant, qua interpretatione ea verba sola, quae proxime praecedunt ἣν δ' ἓν ἁμάρτῃς — φιλότης respiciuntur, sed omnis sententia mente comprehendenda est, quae continetur versibus 105.—110. His versibus mali homines describuntur et beneficiorum in eos collatorum vanitas, quippe qui et insatiabiles sint beneficiorum accipiendorum et si alter unum peccaverit omnem benefactorum memoriam statim deponant. Illis opponuntur homines boni, qui, id quod v. 112. exponitur, memores sunt beneficiorum et gratiam postea habent. Similem inesse sententiam in v. 111. necesse est, cum ambo versus 111. et 112. iis

quae praecedunt omnibus et addantur et opponantur. Itaque ea requiritur versus 111. sententia, ut homines probi dicantur maximum commodum reddere pro iis quae acceperint eaque inest sententia in verbis, si verbum *ἐπαυρίσκειν* vim habere potest activam. At in eo ipso cardo versatur difficultatis. Verbum enim ubicunque legitur nusquam nisi illum significatum habet fruendi et percipiendi. Tamen si formas verbi inspexerimus, quae adhuc in litteris Graecis inventae sunt, activi generis est verbum *ἐπαυρέω*, cujus forma *ἐπαυρεῖ* legitur apud Hesiodum (op. 419. Göttl.), deinde aoristi variae formae ut *ἐπαῦρον*, *ἐπαυρέμεν*, *ἐπαυρεῖν* quae referuntur ad praesentis formam *ἐπαύρω*; passivi et medii generis *ἐπαυρίσκομαι*, *ἐπαυρήσομαι*, *ἐπηυρόμην*, *ἐπαυρέσθαι*, *ἐπαύρασθαι*; praesentis activi *ἐπαυρίσκω* exemplum praeter hunc Theognidis locum legi videtur nusquam. Passivi autem generis et temporis praesentis formae verbi *ἐπαυρίσκω*, quas Homeri Ilias praebet N. 733 (*ἐπαυρίσκονται*) et Democriti locus apud Stob. eclog. eth. 8, 1 (*ἐπαυρισκοίμεθ' ἄν*), non solum idem valent, quod fructum percipere, sed possunt etiam pro mere passivis accipi, ut interpretandus sit prior locus: unde multis hominibus commodum affertur, alter hanc habeat vim: ab iisdem incommoda nobis afferantur. Eius passivi generis forma activa Theognideo loco (v. 111.) mihi videtur praeberi, ut *ἐπαυρίσκουσι* sit i. q. participem faciunt et versus omnis hanc habeat explicationem: at probi homines maximi (commodi) participem faciunt ubi acceperunt. Si ab Homeri locis (*Α* 573. *Ν* 649. *Ο* 316. *Ψ* 340.) orsi significationis omnium huius verbi formarum scrutamur, hae videntur esse: 1) *ἐπαυρέω* et *ἐπαύρω* cum aoristi formis vim habet attingendi, 2) mediae formae attingere significant cum suo quodam commodo, 3) *ἐπαυρίσκω* i. e. q. facio, ut aliquis rem attingat, adipiscatur, 4) *ἐπαυρίσκεταί τις* i. e. q. fit, ut aliquis rem attingat, ut ea potiatur, fruatur. Haec si recte videntur explicata, in v. 112. pro *μνῆμα δ'* scribendum videtur *μνῆμά τ'*, ut utraque re, et memoria bene factorum et gratia habita, designetur, quomodo boni homines pro accepto commodo maximum reddant.

V. 127. verba *ἐς ὥριον* varie tentarunt viri docti, mihi non mutanda verba videntur, sed ex universa loci sententia intellegenda. Poeta difficillimum esse ait hominis mendacis mentem perspicere idque fieri posse negat ante quam periculum eius sicut iumenti factum sit; deinde addit: *οὐδέ κεν εἰκάσσαις ὥσπερ ποτ' ἐς ὥριον ἐλθών*; non possis coniectura assequi, qualis homo sit, velut si quando in tempore veneris, i. e. non potes, si quando illum bono tempore, bono animo, aptum et accommodatum inveneris, inde veram eius suspicari naturam; saepe enim conspectu hominum mentes falluntur.

V. 169. rectissime mihi videtur lenissima scripturae codicis A. mutatione sic scribi: *ὅν κε θεοὶ τιμῶσιν, ὁ καὶ μωμεύμενος αἰνεῖ*. H. ab Herwerden (l. c. p. 9.) consentit Ahrensio sic scribenti: *ὃν δὲ θεοὶ τιμῶσ', ὃς καὶ κοιμεύμενος* (sic legendum pro *κωμεύμενος*) *ἄνει* et locum psalmorum celebratissimum (127, 2) confert. Mihi tamen vir doctissimus, qui ea scribenda existimavit, maxime ille et egregia laude versatus in litteris Graecis, non recte videtur mutasse. Prima enim interpretis ea videtur esse lex, ut, quae optimus vel optimi librorum manu scriptorum praebent, num ea et sermoni et sententiae conveniant exigat, quae si secus habere exploraverit, alterum nascitur negotium, ut quae ita sententiae accommodata sint reperiat, ut proxime absint a codicum optimorum scriptura. Coniecturam igitur et necessariam esse volumus et loco aptam ac facilem. Hoc autem loco necessariam esse coniecturam et mutationem non intellegimus. Verbis enim, quae supra nobis recte habere

videri scripsimus, iisque quae sequuntur haec dicere voluisse videtur poeta: Quem dii colunt, eum etiam qui reprehendere omnia consueverit (ὁ μωμεύμενος) laudat, res enim perficit adeo laudabiles, ut ne acerbissimo quidem calumniatori vituperandi facultatem praebeant; at hominis (i. e. qui nihil nisi homo est, non deorum ope auctus) studium nullum est. Ita poeta diis, inquit, praesentibus et faventibus omnia optime efficiuntur, absentibus iisdem labor est irritus. Ea sententia mihi quidem et recta esse et inesse in verbis videtur. At Ahrensi mutatio ut non necessaria ita nec re est nec verbis probabilis. Κοιμεύμενος (si ea forma Theognis potius usus est quam illa, quae Homerico verbi usui conveniat κοιμώμενος) non is est, qui dormit, sed qui dormitum decumbit, verbum autem ἄνειν nulla addita re quae perficiatur haud recte usurpatum videtur. Deinde ea mens quae subest his verbis a Graecorum ingenio longe videtur abesse. Graeci enim laudis cupidissimi industria eam et rerum gerendarum magnitudine affectabant neque eam pietatis rationem sectabantur, quae psalmorum illo loco vitae curis sollicitae et negotiis vexatae opponitur, quae tranquillitas spem habet tutelae ac benevolentiae divinae. Nos igitur illa verba ut supra scripsimus sic servabimus iisque designari iudicamus Graecorum laudis gloriaeque cupiditatem nemini qui illorum noverit ingenia ignotam.

V. 256. τοῦ τις ἐρῷτο τυχεῖν non debebat reprobare Bergk., qui ἐρᾷ τὸ τυχεῖν durius scripsit nec convenienter commodo epigrammatis sermoni. Si solebant Graeci forma uti ἔραμαι, non tamen prorsus abolenda videtur forma ἐράομαι vi activa, quam formam et Il. Π. 207 ἐράασθε et Theocrit. 2, 149 ἐρᾶται (Ahrens) et Sapphus fragm. 59 (13 Bgk.) tuentur, quamquam in Sapphus verbis G. Hermann. et Briggs. ἐρᾷ τευ scripserunt, nimis illi opinor formae ἔραμαι adhaerentes, quae si creberrima usu non tamen unica videtur fuisse.

V. 288. magnam exhibuit interpretantibus molestiam et varie verba dubia emendare conabantur. Mihi quidem neque priores neque Bergk. aut H. ab Herwerden (l. c. p. 18.) aut Schoemann. (opusc. acad. IV, 31.) aut Maehly (ann. nov. phil. class. 107, 97.) e litteris traditis quod conveniat loco enucleasse videntur. Habet autem codex A haec: ὡςδετοσωσαιεὶ. Eam litterarum seriem si intuiti quid postulet sententia loci quaerimus, haec scripsisse poeta videtur: ὃς δὲ τόσῳ σαίνει, πόλλῳ ἀνολβότερος (vel ἀνολβότεροι). Haec a sententia non videntur aliena esse. Dicit enim poeta in civitate adeo ad malam vituperationem prona nihil placere; qui autem eo magis aduletur, eum (vel eos) multo esse infeliciorem. Poterat enim fieri, ut aliquis civis acerbe omnia reprehendentes aut laudis aut commodi alicuius causa adularetur, ut ea saltem humilitate suique demissione aliquid boni acciperet; eos poeta ait multo esse infeliciores, nimirum quia nec laudem a vituperatoribus accipiant et famae suae integritatem perdant. In his verbis offensionem nihil opinor movet, nisi τόσῳ sine comparativo positum. Et durius quidem id dici non nego; tamen si Thucydides id sibi permisit, nullo ille quidem numerorum vinculo coactus, a poeta prorsus alienum id non iudicaverim. Quamquam apud Thucydidem ex iis quae praecedunt suppleri potest μᾶλλον, est enim hic locus (4, 28, 3,): οἱ δὲ . . . ὅσῳ μᾶλλον ὁ Κλέων ὑπέφυγε τὸν πλοῦν, . . . τόσῳ ἐπεκελεύοντο τῷ Νικίᾳ παραδιδόναι τὴν ἀρχήν. Sed ut vel sic aliqua durities relinquitur sermonis, cuius Thucydidem non fuisse fugientem nemo ignorat, ita paulo magis progresso poetae licere dixerim tanto pro tanto magis, si e ceterorum verborum sententia quod omissum est non magno negotio potest intellegi. Ceterum quod pro codicis ὡς scribendum existimavi ὅς, quod ι sub-

ita communi mala proferre de aliis malunt homines quam bona, nimirum suae virtutis ac probitatis speciem ex aliorum pravitate petentes. Illud autem malum, inquit poeta, saepe melius intus in animis continetur, ad prodire ex oribus honestum praestat quam malum.

V. 428. *ἐπαμησάμενον* Bergkio perperam videtur dici, quia cognati potius terram in mortuum coacervent quam is in se ipse congerat. Sed quod ipsi magis probatur, *ἐφεσσάμενον* sive *ἐπιεσσάμενον*, non magis cadit in mortuum, qui neque conferre in se humum neque induere potest, sed poetico videlicet more haec dicuntur, quo vel mortuis vita quaedam tribui solet. Itaque ne hoc quidem loco traditum verbum, quod Stobaeus quoque habet flor. 120, 4., at *ἐφεσσάμενον* Sext. Emp. hypot. 3, 231 Bekk., repudiamus, quia et sententiae et sermoni optime convenit.

V. 440. *Τῶν δ' αὐτοῦ ἰδίων οὐδὲν ἐπιστρέφεται*, sic recte Jacobs. hunc versum scripsit secutus codicum A O auctoritatem, quamquam ii *τῶν — κιδιον* contrarie scribunt; sed *κιδιον*, in quo digamma servatur, nullo negotio mutatur in *ἰδίων*, quod et ad numeros aptius est et sententiae magis convenit; respicit enim haec locutio vulgatissima illa Homeri verba (Z 490) *τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε*, unde in proverbii similitudinem quandam videntur transiisse.

V. 514. repetitum amici nomen merito suspicionem movet nec tamen id substituendum puto, quod Herwerden (l. c. p. 26.) proposuit *ἔσται* aut *λήψει*, quia a versu demum 515. incipit cibariorum mentio. Mihi *οἷα*, quamquam obloquitur Herwerden, referri ad *ζύγα* videntur, quae ipsa quidem translate accipienda sunt. Amici navem i. e. fortunam poeta ait ita et iis rebus se esse refecturum, quae ipse habeat quaeque dii ipsi dederint, i. e. pro sua conditione amico se esse subventurum. Deinde ad hospitium transit et e paratis ait optima quaeque se esse praebiturum et, si amici sodalis aliquis cum eo veniat, decumbere iubet amicum pro sua cum poeta familiaritate, nullo adhibito timore nec verecundia ulla revocatum. Eam sententiam inesse puto in verbis: *κατάκεισ' ὡς φιλότητος ἔχεις*, quamquam obscuriora vel sic mihi videntur. Versu autem 514. pro amici nomine scribere malui *τοιαῦτ'*, quod vocabulum etsi vix intellegi possit quo modo interciderit, tamen ad excusationem angustae qua poeta laborat fortunae non mediocriter videtur esse accommodatum, quasi dixerit poeta: nimirum non alia navi tuae transtra dabo, quam qualia dii sive fortuna mihi dederant.

V. 664. codex A habet: *ἐξαπίνης ἀποτοῦν*, quae alii aliter immutarunt; mihi satisfactum videtur sententiae, si lenissima mutatione scribatur: *ἀπὸ ταῦτ' ὤλεσε;* is etiam, inquit poeta, qui permulta possidet, subito ea amisit una nocte. Separatae a verbo praepositionis aut potius adverbii exempla non rara sunt in collectione Theognidea.

V. 667. et 668. *οἶδα* et *ἀναινοίμην* pro *ᾔδη* et *ἀνοίμην*, quod utrumque codex A habet, recte coniecisse Bergk. et Herwerdenio et mihi videtur, at v. 675. *οἳ δ' ἔρδουσι* non cum Bergkio *ἔργουσι*, sed ratione habita versus 673. *ἀντλεῖν δ' οὐκ ἐθέλουσι* scribi malo *ἀργοῦσι*, nihil faciunt, eorum scilicet, quae ad salutem navis sive reipublicae pertineant; neque enim omnino segnes eos esse his probatur verbis: *χρήματα δ' ἁρπάζουσι βίῃ*.

V. 806. pro *χρῆμεν*, quod codex *K* praebet neque probabile esse consentiunt viri docti, nonne salva

sententia ita scribi potest *χρὴ μὴν*, ut cum aliqua animi elatione dicatur fidelissime servari oportere Pythiae sacerdotis vaticinia.

V. 821. Bergk. sic scribit: *οἵ κ' ἀπὸ γηράσκοντας ἀτιμάζωσι τοκῆας*, rectissime siquid aliud loci formam constituens; at versu sequente cur *θεοῖς ὤρη* pro *τοι χώρη* subiciatur, equidem non intellego. Quamquam si *τούτων θεοῖς ὤρη* tradita essent, possent illa quidem sic reddi: eorum curam parvam habent dii; sed non minus ea quae tradita sunt *τοι χώρη* etc. explicationem habent: iis parvum erit spatium sive ii breve tempus degent aut parvum spatium tenebunt, eorum fortuna angusta et circumscripta erit.

Versibus 826 — 828. variam operam navaruut viri docti, Ahrens., Bergk., Maehly (nov. ann. phil. cl. 107, 95.) Herwerden (l. c. p. 33) alii, quorum usus sagacitate paucis de meo additis sic opinabar aliquam restitui posse sententiam verbis quae tradita sunt non nimium immutatis: *γῆς δὲ φόρος φθίνεται ἐξ ἀγορῆς, ἥτ' ἔτρεφεν καρπούς μὲν ἐς εἰλαπίνας φορέουσι, ξανθῇσιν δὲ κόμαις πυροφόρους στεφάνους*. Poeta, quisquis fuit, Theognis aut quem Bergk. suspicatur Callinus, cives videtur increpare, quod cum tibicine canere sustineant, cum e civitate evanescat terrae proventus, quae antea fruges tulerit, quas ferrent in convivia, et comis flavis coronas spiceas. Terrae autem proventum bello amissum esse Schneidewin. coicit haec annotans ad versum 829: bello devicti tondebant capillos ea lege condita, ut ne quis civium denuo aleret aute quam recuperata ea agri parte quae in hostium potestatem esset redacta. In v. autem 829. *Σκύθα* acerbe opinor poeta dixit de civibus morum et sensuum ruditate barbarorum similibus.

V. 897. Maehly (l. c. p. 96) neque cogente necessitate neque convenienter usui verbi *χαλεπαίνειν* proposuisse videtur *κακὰ θνητοῖς*, minus autem apte *χαλέπαινες;* id enim vix cuiquam persuadebitur, si Cyrnus mortalibus propter omnia quae male faciunt suscenseret, id omnibus hominibus perniciosum fore; at Bergkii coniectura v. 898. pro codicum *ὡς* substituentis *Ζεὺς* et v. 897. scribentis *χαλέπαινεν* ad sententiam videtur optime esse accommodata.

V. 903. quamquam non satis commode legitur sic ut praebetur codicibus, tamen habet explicationem et ea saltem, quae a viris doctis emendandi causa prolata sunt minus etiam placent. Poeta autem haec illis verbis videtur dicere: Difficile est modum servare in bonorum usu, quae qui captans consumtionem sic moderatur, ut in utramque partem rectam servet rationem, is prudentium iudicio virtutem maxime laudatam habet. Eiusdem carminis v. 919. ita mihi videtur a Bergkio restitatus, ut nihil habeam quod addam.

V. 956. *χηρώσει*, quod Bergk. in *χηρώσεαι* mutavit, nonne item ut *βούλει* et similia accipi potest pro altera singularis numeri persona? At fateor neque ea persona nec vocabulum *πολλῶν* admodum mihi probatur, quamquam *αὐτοῦ* secundae personae non aegre iungitur et poeta potest voluisse dicere: multis privabitur bonis, qui in improbum hominem beneficia confert; commodius certe legi videtur, si suspicari ea librorum manus permitterent: *χηροῦται κτεάνων*.

V. 980. pro *σπεύδου* quod A exhibet, facilius scribitur *σπεύδων* mutatione minima et quam similes codicis scripturae tueantur; ut v. 698. *νόου* pro *νόον*, 943. *ἀμφότερον* pro *ἀμφοτέρων*. Ita si scribimus post *ἔργων* non coli, sed commatis signum adscribendum est.

V. 1063. Bergk. quia codex *K* καλλισθ' habet haud dubie quod in codice A legitur πάννυχον lacunae explementum esse nullius fidei arbitratus, ex illo καλλισθ' extricavit καλ λῖθ', quod ut a sententia non abhorret ita non modo supervacaneum est, quia dormiendi vel cubandi vox plane ad rem designandam sufficit, sed durius etiam et a poeta mollissimo, id quod reliquis docetur versibus, abiudicandum. Illud καλλισθ' ut ceterorum librorum κάλλιον explendae lacunae studio videtur insertum esse, quae lacuna apte expletur codicis A manu: in vocabulo enim πάννυχον voluptatis inesse videtur significatio, qua per totam noctem frui liceat.

V. 1085. a Welckero optime mihi videtur restitutus neque aut Bergkii aut Emperii aut alia emendatione egere, quamquam huius mutatio βάρε' et facillima est et sermonis legibus accommodata; sed cum ne βάρυ quidem adversetur, hoc servandum videtur esse.

In carminis quod continetur versibus 1137.—1150. verbis haec mihi probabiles videntur emendationes: v. 1139. ἀνθρώποις ἀδίκοισι, quod Leutsch. scripsit, quamquam Bergkio alia medicina videtur opus esse; deinde, quod Herwerden (l. c. p. 54.) censet, artissime iungenda verba οὐδὲ θεοὺς — ἔφθιται atque post ἀθανάτους commatis, post ἔφθιται signum ponendum coli; tum v. 1142. pro εὐσεβίας fortasse scribendum εὐνομίας. Quod idem vir doctissimus v. 1137. pro ἀνδρῶν scribendum putavit ἁγνῆ, non necessaria ea mutatio mihi videtur. Bergk. in anthologia lyrica h. l. lacunam videtur designare inter v. 1136. et 1137., mihi quidem inter hos versus desiderari videtur nihil.

V. 1161. et 1162. Bergkii emendatione, qui Stobaei usus subsidio αἰδοῦς ἦντ' et δίδως scripsit, iam satis recte leguntur, nisi quod servata codicis A manu, quae καταθήσειν habet, legendum videtur: παισὶν καταθήσει ἄμεινον, personae secundae forma attica, quam supra ad v. 956. posuimus neque a poeta Megarico alienam esse arbitramur. Quae tamen sententia versus 1162. sit, non satis liquet. Quid enim haec verba volunt dicere: quem (sc. pudorem) viris bonis Cyrne das? an melius habent, si scripserimus ἦν — δίδως, si quidem viris bonis dederis, si liberi boni sint? At malis pudorem non poterit reponere, quippe qui eum non recipiant. Et iis ipsis ille pudorem tamdiu seponet, donec ad firmatam aetatem pervenerint, antea reclusum habebit? Haec omnia et a poetae mente et a veritate absona videntur esse, quamquam quid aliud in verbis insit non intellego, nisi in ea requiescemus interpretatione: si boni sint viri, quibus des pudorem.

V. 1177. pro εἰ κ' εἴης ut scribatur εἰ δ' εἴης vel εἰ γ' εἴης flagitare mihi versus proximi videntur verba κεν ἔχοις, quem versum cum Heckero (apud Herwerden. l. c. p. 55.) sic scribendum existimaverim: μεγίστης κεν πεῖραν ἔχοις ἀρετῆς, ut v. 1190. in verborum contextum nulla adhibita dubitatione recipiendum videtur οὐλομένας, quod Matthiae pro βουλόμενος posuit.

V. 1194. Bergkio prorsus assentior pro ἢ σκληρὸν scribenti εἰ σκληρὸν et, quod deinde necesse est concedere, dicenti excidisse duos versus inter v. 1193. et 1194.; cum eodem viro doctissimo et sagacissimo non consentio plura excidisse inter versus 1331. verba ὦ παῖ et διδοὺς, sed satis fecisse sententiae Passovius videtur cum haec scriberet: ὦ παῖ, ἐμοὶ δὲ δίδου χάριν.

